

F R. A M B R O S I I

IN DIOGENIS LAERTII

opus, ad Cosmam Medicem epistola.



OLVENTI mihi quædam Græca
uolumina, uenit ad manus Laërtij Dio-
genis de philosophis prolixum opus. Id
etsi autori plus in legendō studij quām
in scribendo diligentiae fuisse ex ipsa le-
ctione deprehenderem, quia tamen uaria erat historia, &
plurima cognitu necessaria continere uidebatur, Latinum
facere, amicis maxime id fieri orantibus statui. Quanquam
enim sacrī transferendis iampridem studiū omne tempusq;
deuoueram, atq; id religionis instituto magis consentaneum,
ab hoc tamen ueluti curriculo modicē deflectere, ut studio-
sis morem gererem, haudquaquā reprehensibile existimauit:
imò hoc ipso labore meo fore, ut Christiane pietatis &
gratiæ dignitas magis patesceret, ac per id fides in deum
promptior ac ardentior surgeret, ratio uerissima suade-
bat. Quando enim inter illos qui sapientiæ secularis fuere
principes tanta deo, rebusq; & diuinis & humanis opi-
nionū concertatio est, ut se inuicem destruant, neq; ubi con-
sistat reperire possit, maiore profectō alacritate animus
diuinæ dignitatis amplectitur gratiam, atque ad fontem ue-
ritatis accurrens ueteris fqualorem miseratur erroris. Etsi
enim apud illos sparsim probabilia quædam & ueritati
consona inuenire est, mens tamen tanta opinionum uarie-
tate fatigata libentius & gratius intra cubicula ueritatis
se recipit, & diuinis libris ac literis hauriendis maiori de-
inceps desiderio inhiat, & ipsa tamen que apud nobilio-
res quoque philosophos, de deo, de cœlo, corporibusq;

a 2 coelest